

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE ANASARCA.

---





## CORRIGENDA.

Page 3 line 4. *pro aliquamdiu lege aliquandiu*  
— — — — — *inundentur — totum corpus inun-*  
                          *detur*  
— 13 — 3. — *faciliur* — *facilior*  
— — — 18 — *cutem* — *cor*  
— 21 — 5 — *esse* — *esse debent*

Viro optimo,  
ALEXANDRO RAMSAY,  
Equiti Baronetto  
De  
IRVINE ET BALMAIN,  
Literis humanioribus  
Animoque virili  
Insigniter ornato,  
Ob  
Insignem  
In illum  
Benevolentiam,  
Hoc  
Qualecunque sit  
Opusculum,  
Pertenue  
Animi grati  
Monumentum,  
Offert  
**ROBERTUS RAMSAY.**

СИДРИЧ  
САДЫК

СИДРИЧ САДЫК

СИДРИЧ САДЫК

СИДРИЧ САДЫК

СИДРИЧ САДЫК

СИДРИЧ САДЫК

О

СИДРИЧ

САДЫК

СИДРИЧ САДЫК

О

СИДРИЧ САДЫК

СИДРИЧ САДЫК

СИДРИЧ

СИДРИЧ САДЫК

СИДРИЧ САДЫК

О

СИДРИЧ САДЫК

# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

DE

# HYDROPE ANASARCA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decretis,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ROBERTUS RAMSAY, A. M.

SCOTO-BRITANNUS.

“ *Corrupti jecoris vitio, vel splenis acervo*  
“ *Crescit hydrops, aut cum siccatae febre medullæ,*  
“ *Atque avidæ fauces gelidum traxere liquorem,*  
“ *Tum lympha intercus vitio gliscente tumescit,*  
“ *Secernens miseram proprio de viscere pellem.*”

QUINT. SERET,

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

Apud ALEX. SMELLIE.

---

M,DCC,XCVII.

DISSERVATOMEDIC

INAGUALIB

ETAL 1872

HYDROPE ANAGARA

1872

**E**xistit morte pyrode et di pilo*p*  
m*er*e*co*nt*em* *vi*ni*cis*ti*on* *di* *pi*ne *pe*ce *o*  
mer*co*nt*em* *vi*ni*cis*ti*on* *di* *pi*ne *pe*ce *o*  
pe*ce* *in* *si*ll*ig*ra*m*ur*u* *pi*lo*p*  
co*de**po**se*, *d*rip*pe*s *su*s *co*nt*em* *vi*ni*cis*ti*on*  
*u*ni*u* *sh*ep*pe*re *et* *gi* *o* *co*nt*em* *vi*ni*cis*ti*on*  
o*co*nt*em* *vi*ni*cis*ti*on* *et* *pi*lo*p* *co*nt*em* *vi*ni*cis*ti*on*  
i*n* *co*nt*em* *vi*ni*cis*ti*on* *et* *pi*lo*p* *co*nt*em* *vi*ni*cis*ti*on*

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

DE

## HYDROPE ANASARCA.

---

**E**X iis morbis hydrops est, qui propter frequentiam magnam, attentionem medicorum vindicarunt, quique hanc ob rem, nunc quoad et naturam et curationem, bene intelliguntur. Hydrops, pro partibus corporis, quibus aqua continetur, varia nomina adeptus est. Si in cerebro aqua sit, morbo *hydrocephalus* nomen est; si in cavo thoracis, *hydrothorax*; si in pericardio, *hy-*

*drops pericardii*; si in abdomen, *ascites*; si in ovario, *hydrops ovarii*; si in utero, *hydrometra*; si in vaginali testiculi tunica, *hydrocele*; si denique in tela cellulosa, *anasarca*. Ex his autem hydropis speciebus, de postrema solum, anasarca nempe, mihi in animo est disputare. Hic morbus a Culleno aptè definitur his verbis:

“Corporis totius, vel partis ejus intumescientia mollis inelastica.”

### HISTORIA MORBI.

MORBUS cum pedum et talorum tumore vesperam versus adoritur, si homo diuiso in positione erecta per diem steterit vel multum ambulaverit. Tumor ingressu primo vix observatur, sed, ut progreditur, evidentior fit, ita ut calcei vel alii vestitus minime concedentes, quibus aeger vestitur,

angustiores

## DE HYDROPE ANASARCA. 3

angustiores quam antea evadunt, et aliqua substantia tumore prepresso casu, ejus impressio retinetur; et non instanter evanescit, sed aliquamdiu perstat, donec ad amplitudinem priorem demum resurgat. Tumor si dígito signatur easdem mutationes subit, atque per noctem propter positionem horizontalem gradatim subsidet. Tamen extensior fit et immutabilior, ut morbus procedit. Nunc ullo situ augmen decrescentiave parum observantur. Postea morbus plus minusve rapide tenuis cruribus femoribusque ascendit; et, his tumefactis, deinde abdomen distendit, adeo ut asciticum referat. Tum partes deinceps superiores aqua implet, donec inundentur. Brachia, cervix et caput postremum afficiuntur, interdum palpebrae oculorum, sic ut lux intrare nequeat, saltem rerum circumstantium perceptio desit. Sed equidem priusquam res sic se habent, dyspnoea stipata tussi sicca supervenit; et sacer

24 DE HYDROPE ANASARCA.

per morbi totum decursum, urina quan-  
titate parva redditur, et sedimentum depo-  
situm copiosum est. Urina fere semper  
minor est liquidis ingestis. Per cutem se-  
rum transit guttis minimis, hisque suppres-  
sis, integumenta rumpuntur, et ulcera sic  
formata, gangraena difficillima sanatu cor-  
ripiuntur. Tussis plerumque vehementes.  
Pulsus parvus, debilis, frequens et aliquando  
irregularis. Motus voluntarii tardiores,  
non solum conditione inhabili corporis, sed  
quoque muscularis exercitationis minore  
potentia, fiunt. Alvus aliquando asticta,  
interdum soluta, cutisque arida. Superficies  
frigida, praesertim cum illa aliud natura-  
lis temperaturae comparata. Omnia haec  
symptomata vi festinant; atque difficultate  
spirandi magis notabili, pulsu celere ac ir-  
regulari syncope veniente, homo nunc  
aquaarum pondere extrinsecus oppressus,  
symptoma-

ac symptomatibusque intus afflictioribus cru-  
ciatus obruitur.

sequitur enim studiū de suorum causarum  
et genitioꝝ. Regni diuersi de non  
longo tempore.

### D I A G N O S I S.

SIGNORUM, historiaeque, attenta inqui-  
sitione, facile cum alia aegritudine confun-  
di nequit. Pneumatosis tamen et polysar-  
cacia morbi sunt, quibus levi negligenteve in-  
spectione decipiamur. Posterior anasarcā  
discernitur, propter vestigium ex pressura  
nullum, vultus salubritatem, et rerum prae-  
cedentium cognitionem, quibus intelligatur  
bonam valetudinem antecessisse; verum ana-  
sarcā diversam indolem systematis subsequi-  
tur. Prior, videlicet pneumatosis, anasarcā  
dignoscitur, sonu sub manu crepitante, re-  
filiendi vi post pressuram remotam, subita-  
que aggressione. Denique vel in pneuma-  
tosi,

## 6 DE HYDROPE ANASARCA.

tosī, vel in polysarcia, inopia urinae, sitis  
que non adfunt.

### P R O G N O S I S.

**I**N FORMANDO prognosin hujus morbi,  
res praecipuae considerandae, sunt, aetas,  
vires superstites, morbi progressio et causae.

**1mo,** Consideranda aetas est, quia, prae  
corporis imbecillitate, provectionibus aetate,  
quam junioribus, medicina ad curandam  
anasarcam multo minus valet. **2do,** Haud  
parvi quoque momenti sunt corporis status  
et temperamentum, ut primo aspectu omni-  
bus appareat. **3to,** Progressio et diuturni-  
tas anasarcae animadvertendae sunt; nam,  
caeteris paribus, quo vetustior haec est, eo  
magis timenda. **4to,** Et postremo, ex cau-  
sis maximè omnium, opinionem de verifi-  
mili anasarcae fine formare debemus. Nam

si, subita depravatione virium, morbis acutis veluti febribus, vel sanguinis vel aliorum humorum profluvio orta est; et si haec causae agere desinunt, spes multo securior est, quam si malis vetustis, detritoque et exhausto corpore originem dicit. Sed rursus, si stipatur site urgente, dyspnoea aucta, urinae paucitate, dispositione congenita; si obstructionibus viscerum, arte immedicabilibus, veluti schirro hepatis; si in cordis cavitatibus polypis; vel denique si vasorum magnorum affectionibus similibus; prognosis pro signorum natura et gravitate malorum est.

## CAUSA PROXIMA.

ARTERIAE exhalantes semper in omnes cavitates vaporem fundunt, accumulatio cuius cavitur quamdiu absorbentium inhala-

tio

## S. DE HYDROPE ANASARCA.

tio tanta est, quanta arteriarum exhalatio ; sed si aequipondium amittitur, collectio se- quela est. Nam si exhalantibus materiae effusae proportio (actione lymphaticorum sana manente, major sit, accumulatio fit ; et lymphaticorum potestate absorbendi di- minuta (dum exhalatio naturalis manet) ; vel exhalatione simul aucta et inhalatione diminuta, dein accedit. Ex his apparet, quām verē auctores causam proximam ana- farcae effusioni adauctae vel diminutae ab- sorptioni attribuerint.

## CAUSÆ REMOTÆ.

HAE dividuntur in eas, quae corpus ap- tum faciunt, quod hoc morbo corripiatur, et in eas quae in corpore jam apto mor- bum excitant. Piores praedisponentes, posteriores excitantes medici vocârunt.

## CAUSÆ

## CAUSÆ PRAEDISPONENTES.

HARUM causarum praecipuae sunt, usus  
immodicus liquorum ardentium vel hydrar-  
gyri, diaeta parca, vita sedentaria, excreti-  
ones suppressae, aër humidus frigidusque,  
aetas proiecta; hæ omnes in ducendo  
systematis debilitatem seu habitum hydro-  
picum, agunt. I. *Ardentes liquores.* Quo-  
modo hunc effectum habeant, primo aspec-  
tu non facile intelligitur, cùm primùm in-  
gesti stimulent: Sed vigor auctus tempo-  
rarius est; cùm stimulus non semper ap-  
plicetur, ut conditio stimulatione inducta  
intermittat, necesse est. Quinetiam aequili-  
brium salutare redintegratum iri non ex-  
pectandum est; contrà, status quadantenus  
inferior consecutio erit. Hinc intelligatur  
quomodo materies stimulans sine effectu so-

IC DE HYDROPE ANASARCA.

lito accipiatur. Nunc concipi potest, quare haec tarditas sensuum vel atonia (tametsi, sicut quotidie vidimus, modico usu recuperatur), liquorum ardantium repetitione profusa et frequente auctior obstinatiorque fiat. Quantitas quoque ad priorem transfeuntem scenam gignendam necessaria, augenda erit; neque, hanc adjectionem, propter exitialem effectum tutò sinere poterimus. Hoc modo irritabilitas gradatim diminuitur; demumque relaxatio abitura in hydrophem, praecipue anasarcam, supervenit. His, nobis mirari non licet, ebriis magnae copiae liquoris consuetis, pauxillum initio ebrietatem producere, quod postea nullum effectum habet.

II. *Hydrargyrum.* Constitutio cachectica, quam hujus medicinae usus diuturnus parat, fere ratione supra dicta explanetur: Tamen prae excitacione universali quam dare noscitur, quando in longius spatium temporis

## DE HYDROPE ANASARCA. 11

temporis adhibetur ad luem venereum cu-  
randam, periculum propensionis prius no-  
tatae quaque hydrops producitur majus  
erit. Omnes caeterae causae suprà memo-  
ratae, nempe, diaeta parca, vita sedentaria  
excretiones suppressae, aëris humidus, frigi-  
dusque, aetas proiecta, debilitatem, ex qua  
oritur hydrops, inducunt.

## CAUSÆ EXCITANTES.

HUMORES in totum corpus diffundun-  
tur per vasa plurima, quae licet in varias  
partes cursu tendant, tamen omnia ad totius  
corporis utilitatem conferunt; haec vasa  
trium generum sunt, nempe sanguifera  
serosa et lymphatica. Sanguifera sunt ar-  
teriae et venae. Arteriae a corde sangu-  
inem in omnes partes mittunt; minimi ra-  
mi in venas reflectuntur, quae eundem in

12. DE HYDROPE ANASARCA.

cor reducunt; sed minutissimae ramifications arteriarum globulos rubros omnino excludunt, et tantum tenui, vel seroso fluido introitum concedunt; et liquor his contenitus sub forma perspirationis, vel vaporis in cavitates varias exhalatur,—hinc nomen exhalantium. Vapor sic effusus semper insano vasibus lymphaticis resorbetur: haec nomine absorbentium gaudent, quorum natu-ram ususque Cel. Monro primus non solum in homine, sed in caeteris etiam animalibus, perspicue et definite explanavit. Nunc causae excitantes in haec omnia vasa agentes, effusionem augent vel absorptionem minuunt. Nunc igitur de exhalatione aucta causaque producentibus dicendum est.

E F F U S I O A U C T A.

I. CUM per os, vel per cutem aqua copiose

DE HYDROPE ANASARCA. 13

ose bibitur, et excretoriis non evadit, tenu-  
em liquidum in sanguine accumulando, in  
cavitates facilius egredi possit. Eadem re-  
dundantia, sive ex secréctione et excretione  
suppressis, sive ex perspiratione aut urina  
imminutis, originem morbo per effusionem  
dat. II. Magna quoque sanguinis proflu-  
via, fonticuli, aut alimentorum assimulatio  
imperfecta, quae rubras particulas et lym-  
pham coagulabilem, vel abstrahunt, vel non  
suppeditant, effusionem ex arteriis exhalan-  
tibus augent. III. Dirupta lymphatica va-  
sa, ruptioque ductus thoracici, ut fertur, ef-  
fundendo humorem in membranam cellulo-  
sam, hunc morbum moverunt: Sed ho-  
rum omnium exempla admodum in-  
frequentia sunt. IV. Quaecunque, sanguini-  
nis venosi per cutem motum, sive tumorum  
compressione, sive valvularum ossificatione,  
sive polypis, sive pulmonum obstructioni-  
bus, interturbant seu impediunt, anasarcam

concitant.

## 14 DE HYDROPE ANASARCA.

concitant. Et denique omnia quae viae liberae ex arteriis in venas obstant, effusione faciunt. V. Systematis et praesertim exhalantium laxitas, aliis causis conjuncta, anasarcam saepe inducit.

## ABSORPTIO DIMINUTA.

I. Debilitas in extremitatibus absorben-  
tibus multum valet ad actionem harum di-  
minuendam, et rationes non defunt, cur sic  
concludamus,—quia hydrops saepe saluta-  
rem actionem excitando sanatur. II. Ob-  
structiones lymphaticorum glandularumve,  
ad absorptionem minuendam conducere pu-  
tatae fuerint; tametsi, ob numerosas inter-  
se conjunctiones, hanc rem improbabilem  
esse objiciatur. Quanquam lymphaticorum  
seu glandularum pauca impedimenta par-  
vum tantum effectum producant, tamen fa-

cile admittatur cum haec auctiora genera-  
liorave fiunt, modo supra dicto agere. III.  
Similia impedimenta praecipue in cerebro,  
absorptionem interturbare existimantur. Pu-  
tant enim nonnulli, absorptionem non lym-  
phaticis perfici, sed extremitatibus venarum  
vel vasorum in has liquidum vehentium;  
alii rem longe aliam esse censuerunt, et ex  
analogia aliarum partium lymphatica in ce-  
rebro existere probare conati sunt. Sed, ut  
anatomicis nil horum observatur, existant,  
necne, dubium est, et ad rem nostram pa-  
rum pertinet.

## RATIO SIGNORUM.

## I. PEDUM surarumque vespere tumor.

Hoc symptoma ex diversis partibus telae  
cellulosae inter se patentibus oritur, quibus  
aqua collecta, in imos locos propter gravi-  
tatem

tatem et positionem rectam descendit. Hac ratione intelligamus, quare situ recumbente evanescat; quoque observetur descensum sanguinis arterialis adjuvari, et ascensum venosi surgentis adversus proprium pondus, praesertim debilitate hoc tempore valente, retardari. II. *Impressio digitorum aliarumve substantiarum retinetur*, quod fluidum cellularis continentibus expressum in vicinas, non, nisi post aliquod tempus, in pristinam sedem reddit. III. *Difficultas spirandi*, ex compressione bronchiorum, vasorumque sanguineorum, ex fluido seroso, seu in tela pulmonis ipsius, sive inter plicam pleurae collecto, vel denique morbo ingravescente, ex aqua accumulata in cavitate abdominalis, liberumque motum diaphragmatis impediente, originem dicit. IV. *Tussis frequens siccaque*, ex irritatione in pulmonibus certe contingit; tussis est tentamen hujus irritationis causam noxiā ad rejiciendā, sed omnino

DE HYDROPE ANASARCA. 17

omnino inefficax propter hanc extra bronchia collectam. V. *Urina parca rubraque, et sedimentum copiosum deponit.* Paucitas facile explanetur ex partibus aquosis in telam cellulofam currentibus, quam ob rem determinatio ad renes minuitur. Urina igitur, praे particulis salinis, et aliis condensatis, rubra est. *V*isdem sedimentum copiosum explicari potest. Quidam vero censere, inopiam urinæ renibus obstructis nasci; hoc tamen raro occurrit. VI. *Ulcera invicinis gangraena corripiuntur.* Serum effusum et stagnans acrimoniam acquirit, quae membranas et integumenta corrodit. Ulcera hinc inata in gangraenam et sphacelum obatoniam degenerant. VII. *Sitis,* ob aquam ex faucibus in telam cellulofam derivatam, urget. VIII. *Pulsus parvus, debilis, interdum irregularis.* Status pulsus intelligatur non solum debilitate totius systematis, sed quoque difficiili sanguinis per pul-

18 DE HYDROPE ANASARCA.

mones transmissione. IX. *Motus voluntarii tardi* sunt, praे debilitate. X. *Cutis*, ob perspirationem per cutem imminutam vel impeditam, arescit.

C U R A T I O.

INDICATIONES tres sunt. I. Causas remotas removere. II. Fluida collecta educere. III. Tonum systemati restaurare. Causas remotas removere. Hoc saepe non expeditè perfici potest, quia multae harum, ut obstructiones permanentes, polypi, valorum vel valvularum cordis ossificatio, tumores, aliaque quaedam, removeri non possunt. Aliae verò sunt causae, quas medicina potest nonnunquam tollere. Nam schirrus viscerum interdum removetur. Hoc, summa ope, medicinis deobstruentibus tentandum est, quorum hydrargyrus efficacissi-

mus est. Multa medicamenta magni momenti memorata fuere, quanquam experientia generali medicorum characterem non diu sustentavere. Liquoribus ardentibus abstinentendum est. Diaeta nutriendis debet; et exercitatio adhibenda, pro viribus. Humor vitandus est.

FLUIDA COLLECTA EDUCERE.

HUMORES vel exitibus artificiosis vel naturalibus educuntur; nunc de prioribus.

EXITUS ARTIFICIOSI

VESICATORIIS, cautoriis, fonticulis, et puncturis perficiuntur. I. Vesicatoria crebro haud sine felice eventu exhibita fuere, si horum narrationem, quibus ita contingit,

credimus:

## 20 DE HYDROPE ANASARCA.

credimus : Sed cùm loci, quos occupant, gangraenae obnoxii sint, vix admitti debent, vel si unquam, tantum in hujusmodi levioribus affectionibus, ubi partes nimia destensione tonum non amiserunt. II. Fonticuli extremitatibus hydropicis aquam abstrahendo commodi fuerunt ; tamen introduc<sup>tio</sup> substantiae extraneae ad hoc efficiendum necessaria est, et inflammationem, gangrenam, subsequentemque sphacelum producit. Contra generalem usum, haec sunt argumenta. Iisdem restrictionibus, quibus vesicatoria, adhibeantur. III. Cauteria— Temporibus antiquioribus laudata sunt : at omnibus incommodis priorum onerantur, incerto quoque spatio operationis, itaque justitia exauctiorantur. IV. Puncturae.— Cum transitione feri extranei aperturæ statuuntur, nullo consilio minore dolore, et periculo, quam puncturis, res peragitur. Anteferuntur, quia non iisdem incommodis ac

aliis

aliis subjiciuntur, et liberum citumque commatum aquis dant. Necessaria est circumspectio, ne nimis latae profundaeve sint, nam satis si membranam cellulosam porrigitur. Neque juxta esse, neque in partibus distantibus corde, quoniam majore facilitate mortificatio superveniat. Proiectiore statu hujus morbi, locus supra genua pro his puncturis idoneus est; sed cum tumor decrescit, et periculum gangraenae minus fit, haec perficiantur pro re nata paulo inferius. Vulnuscula cito conglutinant, sed si inflammant et sphacelus timetur, potentissimae impeditiones huic, nempe applicationes externae aptaeque cum administratione vini, et corticis Peruviani interne, aliisque ad eosdem fines conducedibus, necessariae sint.

## EXITUS NATURALES.

PRIUSQUAM res, quae ad hanc divisionem pertinent, ingredimur ; observetur, curationem per hos exitus plerumque multo probabiliorem esse ; et in qua majorem confidentiam, quam, in ea per vias artificiosas supra enumeratas, ponamus. Evidenter, quanquam per has aqua abstrahitur, tamen cum aqua effectus, et non hujus morbi causa sit, periculum est ne morbus redeat. Certe res longe alia est, si evacuatio viis naturalibus effici potest ; nam in tentando hoc exequi, organa pro secretione et excretione constituta, quorum actio multum impeditur, salutariter excitantur. Remedia hoc consilio utenda sunt emetica, cathartica, diuretica, diaphoretica, et sudorifica.

## EMETICA.

VOMITIO seu sponte occurrens, sive arte excitata, serosi liquoris magnas quantitates evacuavit, et sic interdum multum profuit. Hinc forsitan plus confidentiae remediis hujusmodi posita fuit quam merentur, et nimis promiscue adhibita fuerunt: Nam ex violenta agitatione, quam faciunt, numerova vitia obveniunt. Quanquam interdum non admittenda sunt, tamen commotione saepe profunt, tonum absorbentium augendo, et humores corporis ad superficiem determinando. Fiducia autem iis non nisi morbi initio committi debet; praesertim, si causa fuerit, quare obstrukiones permanentes esse suspicemur, vel si dyspnoea urgeat. Cum exhibitio emeticorum apta judicatur, vegetabilia mineraliave respondeant;

deant; sed ex classe posteriore antimonialia praeferuntur.

### CATHARTICA.

HAEC hydropicis magis, quam praecedentia, accommodantur, quia minus vehementer minusque subito constitutionem jam exhaustam afficiunt; quia absorbentia perpetuo stimulant, et quia humores ad alvum derivant. In cathartica draistica et mitiora separantur.

### CATHARTICA DRASTICA.

PURGATIO violenta crebro antiquioribus medicis adhibebatur, et plures virtutes attributas habere solebat, quam presentes vel experientia, vel observatione possidere existimant.

existimant. Nam si hujusmodi cathartica non cito ultimam intentionem perficiunt; continua frequentatione administratione, vires hominis debilitati manentes frangunt, morbumque aggravant; et si unquam ad hujusmodi medicamenta decurritur, certe non debet donec illa operationis mitioris inaniter tententur. Remedia hujus generis sunt helleborus niger, rhamnus catharticus, elaterium, gambogia, jalappa, colocynthis et scammonium. Quaedam ex his nunc pene obsoleverunt, vel praxi minime notantur. Tria priora praesenti consilio male accommodata videntur, quia operatio, tormentibus severis, magnauste siti non levanda, nisi liquidis ingestis, comitatur. Forsitan in aliis morbis permittantur, sed hunc graviorem reddunt. Gambogia hydrargyro muriato miti, vel jalappa conjuncta, optimè datur, et cum facchari paullulo contrita adhibita fuit (dosibus parvis intervallisque

## 26 DE HYDROPE ANASARCA.

brevibus), ut magnas evacuationes producat. Jalappa inter tutissima drasticorum consideratur quia rarius tormina concitat. Duo reliqua nempe colocynthis et scammonium curâ adhiberi debent, ad doses, constitutionem qua agunt, conjunctionesque proprias, quia aliter medicamenta tantarum virium, effectus infelicissimos producunt.

## CATHARTICA MITIA.

HORUM sales neutri et compositi praecipua sunt, multi quorum ut alvum solvant insumentur, et partim respondent. Tamen nullus ex compositis nuper frequentiore in usu fuit, quam crystalli tartari. Hic sal quantitate satis larga sumptus, ut cathartica, agit, absorbentiumque actionem excitat. Quando multum dilutus urinam insigniter ciet, et sic quoque prodest. Sic potestas

diuretica

diuretica purgans laxansve sub gubernatione medici multum videtur. Cum nimis refrigerans, aromatibus calefientibus corrigitur; et in corporibus, quibus non satis purgat, acriore quadam adjuvari potest. *Peritiss.* *Home* hoc remedium debeimus, qui in hydropicis affectionibus in Nosocomio Edinensi adhibuit, atque profuisse compertus est.

## DIURETICA.

RATIO aquam hydropicam per renes evacuandi, aliis omnibus anteferenda videatur, quia per haec organa fluidi magna quantitas naturaliter transit. Medicamenta tametsi diuretica, qualiacunque sint, spem saepe frustrantur. Hanc ob rem, minus mirari debemus diuretica ex animali fossili vegetabilique regnis conquisita fuisse, cõque minus, quod alia ab aliis medicis frustra tentata

tentata esse, ex annalibus medicinae scimus. Numne fefellerint, quia non ad organum secretioni urinae destinatum pervenerunt, vel ob idiosyncrasiam aliasve causas, obscuritate involvi videtur. Quaecunque causa sit, nemo diuretica existere negat, quae interdum augendo urinae fluxum potissimum agunt. Hujus generis sunt digitalis, colchicum, scilla, allium lactuca virosa et nicotiana. Priusquam de his singulatim dicamus; animadvertisendum est, alia atque alia experienda esse, simul atque tentatum nihil prodesse, constet. Unà cum diureticis usus diluentium necessarius est, quò illa in renes dirigantur. Hoc autem facere adeo olim non solebant medici, ut perniciosum censerent. Timabant enim ne diluentia per exhalantes arterias effluerent, et morbum augerent. At quotidie nunc adhibentur, neque detrimentum afferunt, si aqua excreta assumptam aequet.

## DIGITALIS.

HAEC qualitatibus noxiis olim nota, nuper ob vires diureticas quas possidet multum laudata est: Sed incommode notabile usui conjungitur, nam narcoticum effectum arteriarum motus tardando ostendit. Quocirca a parvis dosibus incipiendum est, ne ex ejus usu aeger in summum discrimen adducatur; et quoque augere gradatim debemus.

## COLCHICUM.

PLANTA jamdudum exitiosa habebatur; in primis experimentis a Doctore Storke medicamentum esse potissimum cognita est, atque ab eo commendabatur. Saepe ad spes respondit, quae ex tanta auctoritate

formatae sunt, atque magnum urinae fluxum concitavit. Alii ob activitatem extremam reprobârunt, quanquam haec tamen temperari facilè potest. Quidam etiam in hac classe locum denegârunt. Ut cunque sit, cautè adhibere opus est.

## S C I L L A.

SCILLA contra hydropicas affectiones diu valuit. Nam prudenter adhibita urinam nunquam ferè non ubertim citat. Ea enim natura est, quam, nisi cautè assumatur, ventriculus ferre nequeat, sed protinus ferè rejiciat. Quinetiam si pylorum transeat vim catharticam ostendet, ob quam tamen non adhibenda erit, quia optatiora remedia, quibus et vomitio et alvus moveantur supra memoravimus. Quòd hoc medicamento utilitatem percipiamus, parva ejusdem quanti-

tas adhibenda est, ut sanguinem, et hinc vias urinarias introeat. Cum hoc opium interdum, atque praeparata ex hydrargyro utpote quae totum corpus stimulent, felice eventu conjunguntur.

## ALLIUM.

SYDENHAMUS magnam confidentiam alio posuit, et praesertim morbo incipiente commendat. Dixit hic auctor, se hoc medicamento solo anafarcam curavisse. Multi medici effectus bonos experti fuere, et nostris quidem temporibus, famam ei olim datam sustentat. *Cel. Cullen* memorat, licet allium per se haud morbum curaverit, tamen ad curationem multum conducere.

## LACTUCA

## LACTUCA VIROSA.

HAEC, ut fertur, urinam multùm citavit. Tantum interdùm profuit, ut viginti quatuor hydropticì, uno excepto, omnes sanati fuerint. Cum tentatur, diluentia quae vim diureticam intendant, requiruntur.

## NICOTIANA.

Hoc medicamentum, licet aequè, ac alia, nequeat sine incommodo maximo, et quidem periculo assumi, tamen dosibus primùm parvis, postquam partes volatiles dissipatae sint, in sanguinem interdum defertur, renesque stimulat. Quia nicotiana ad secundum multùm valet, cautè adhibenda est, et

et in ejus usu perseveretur, dosis paulatim augenda.

## S A L E S.

CUM salinae materiae, quae in corpus assumitur, plus per renes, quam alia organa, transeat, ad eam secernendam renes peculiariter destinari concludamus licet. Hunc in finem, sales, ut renes stimulent, adhibiti fuere. Acida mitiora diluta optatum effectum ediderunt ; sed fortiora quanquam diluta non responderunt. Sales quoque alkalini nomen acquisiverunt magnum, et saepe ad spem responderunt. Ut fatis valeant, ubertim assumendi sunt. His amara quidam medici haud frustra conjunixerunt ; dum alii, quo vim catharticam compescerent, opium dedderunt. Sales medii ubertim dari non possunt, quin alvum laxent, et sic spem medici

E

frustrentur.

frustrantur. Prudenter tamen et peritè adhibiti, optimos effectus praefstant. Qua assumantur quantitate, ex suprà notatis intelligetur.

### DIAPHORETICA.

CUTIS arida, perspiratio imminuta, hydropis frequentes comites sunt; et cùm, secundâ valetudine, fluidi serosi quantitas haud parva cutem transeat, ut per hanc aqua educatur committendum est, atque fuerunt hydropici, qui ex hoc utilitatem acceperunt. Remedia, quibus eliciuntur halitus cutis et sudor, trium generum sunt. I. Summo corpori admota, quae cutis vasa stimulent, calor nempe, frictio, aliaque incitantia. II. Medicamenta ore assumpta, quae cùm sanguinis motum tum totum corpus concitent; videlicet vinum, alcohol, ammonia, &c. III.

III. In ventriculum assumpta, quae, etiam si  
cor et arterias citando agere videantur, ta-  
men ob consensum, qui ventriculo est cum  
cute, sudorem elicere comperta sunt. Ex  
iis sunt salina quaedam; et dosibus, quae  
nauseam faciant, adhibita. Ineptum esset  
singula hujus generis medicamenta recen-  
sere, eoque magis quod bene intelliguntur.  
Medicamentis, quae sudorem movent, a  
quibusdam medicis objectum est, profuso  
interdum sudore quem eliciunt, vires jam  
fractas hydropicorum plus plusque dissipari,  
ideoque nunquam prodeesse, nisi quatenus  
naturalem cutis exhalationem cieant.

## SIALAGOGA.

Ex his quoque nonnulla hydropem cu-  
rasse dicta sunt. Tamen sine dubitatione,  
pauci,

pauci, hoc tempore, medici his confidunt,  
vel remediis potentioribus substituunt.

Ind. III. Tonum systemati restaurare.  
 Nunc ad tertiam indicationem accedimus,  
 nempe systemati tonum restaurare, et sic ne  
 redeat morbus praecavere, id quod ferè in  
 primis difficile est. Nam quanquam aquae  
 emittantur, et aëger convalescere videatur,  
 tamen non obliviscendum est, ea, quibus  
 aqua educitur, debilitatem inducere, etiamsi  
 roborantia simul adhibeantur. Sic corpus  
 magis debilitatur, et hydropi magis obnox-  
 ium fit. Quae optime accommodantur ad  
 corporis vim augendam, ea tentanda sunt.  
 Ex iis, potus, cibus, exercitatio, fasciae, fric-  
 tio, remedia tonica, frigidarium praecipua  
 sunt.

Cibus—concoctu facilis, et quoque valde  
 nutriendi esse debet, videlicet, caro affa, panis  
 bene

bene fermentatus. Potus quoque nutriens esse debet, vinum nempe dilutum, cerevisia fortis, &c.

Exercitatio—si opportuna sit, beneficia producit, secretiones varias et excretiones promovet, absorptionem et sanguinis venosi motum accelerat. Ambulatio, vel aliae exercitationes ad vires aegri melius accomodatae, gestatio videlicet vel equitatio, eligantur.

Fasciae—aptae, haud parvae utilitatis inveniuntur, vigorem vasorum adjuvando et firmando.

Friccio—quoque prodest. Motum sanguinis festinat et obstructionem impedit. Strigli vel panno laneo perficitur.

Remedia tonica—numero multa sunt.

Utilissima

Utilissima sunt praeparata e ferro, cortex et amara. Tonum primarum viarum multùm adaugent, et sic totum corpus roborant.

Frigidarium—nulla remedia magis subitò efficaciūsve corpus raborat, quām frigidarium. Sed in ejus usu modus est. Nam corpori magnopere debilitato nocet; at postquam vires aliquantūm refectae sint, ad convalescentem confirmandum multùm valet.

F I N I S.



